MASTER NEGATIVE
NO. 93-81216-9

AUTHOR:

ASCHENBACH, G.

TITLE:

INTERPRETATIO
NONNULLORUM

PLACE:

NORDHUSAE

DATE:

1844

Master Negative #

93-81216-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Aschenbach, G

...Interpretatio nonnullorum Horatianorum locorum tentata a G. Aschenbach... Nordhusae, typis Friderici Fritschii, 1844.

22 p. 23½ cm.

At head of title: Paedagogii regii Ilfeldensis examina solemnia... indicit Ernestus Wiedasch...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-29-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PAEDAGOGII REGII

ILFELDENSIS

EXAMINA SOLEMNIA

diebus XXVIII et XXIX Mens. Martii MDCCCXLIV

celebranda

indicit

ERNESTUS WIEDASCH

Director et Professor.

Insunt:

I. Interpretatio nonnullorum Horatianorum locorum tentata a G. Aschenbach.

II. Annales Paedagogii Regii.

NORDHUSAE MDCCCXLIV.

TYPIS FRIDERICI FRITSCHII.

INTERPRETATIO

NONNULLORUM

HORATIANORUM LOCORUM

TENTATUR

A

GUIL. ASCHENBACH.

HORATII CARMINUM LIB. 2. C. I. V. 1 — 8.

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos
Ludumque Fortunae gravesque
   Principum amicitias et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
   Suppositos cineri doloso.

Quum de Asinii Pollionis, ad quem hoc carmen datum est, genere, vita, muneribus publicis, studiis litterarum, virtutibus, quibus orator, scriptor duxque belli excelluit, brevius a Doeringio, plenius ab Orellio aliisque disputatum sit, ea omnia praetermitto et hoc solum addere satis esse arbitror, inter eum et Horatium videri eam tantum intercessisse amicitiam, quae litterarum studio contraheretur et conservaretur. Itaque non solum scripta sua secum communicabant eaque mutuo placere vehementer cupiebant[1]), sed etiam interdum, quae litteris mandare in animo habebant. Quum igitur Pollio consilium bellum inter Pompejum et Caesarem gestum describendi cum Horatio communicavisset, hic hoc scripsit carmen, quo aut accurate expositum comprobaret, aut novum commendaret atque ejus prudentiae et arti, qua in talibus rebus uti soleret, laudem tribueret insignem.

---

[1]) cf. Hor. Sat. I. 10, 85.

Jam primum constituimus aliorum interpretationes singulorum verborum recensere et, si necesse erit, refutare, deinde sententiarum ordinem secundum eas exponere, postremo nostram explicationem singulorum cunctorumque paulo accuratius uberiusque probare.

Verbum *motum* a bello non differre, et toto primo versu significari bellum civile, quod societate Pompeji, Caesaris, Crassi Metello consule a. u. c. 694 facta primordium ceperit, plurimi interpretes [1]) arbitrantur; Mitscherlichius [2]) autem verius putat, motus civiles, turbas, quae illa societate in republica excitatae sint, commemorari. *Bellique causas* interpretans Doeringius de illorum virorum amicitia, ceteri de caede Crassi, morte Juliae, aemulatione et ambitione Pompeji et Caesaris cogitant. Verbis *et vitia — Fortunae* belli rationem tenoremque describi opinantur, nisi quod Orellius verbo *vitia* etiam ea notari censet, quae Crassus in expeditione adversus Parthos suscepta admiserit: quae quomodo attingi queant in ipsa belli narratione, vix intelligitur. *Gravesque — amicitias* ad societatem Pompeji, Caesaris, Crassi referunt, quorum perversum ordinem, quum motus bellique causis adjungenda essent, Mitscherlichius excusaturus: *talia,* inquit, *in poëta lyrico neminem offendere debent,* ceteri silentio praetermittunt.

Jam interpretes, qui hactenus paene consensu communi rem tractarunt, in diversas discedunt sententias. Doeringius enim primae strophae extremis *et arma* et secunda tota imaginem belli civilis esse adumbratam putat; Mitscherlichius in altera eorum parte *et arma — cruoribus* ideam poëticam, qua belli civilis impietas vivide ostendatur, inesse *docteque bella civilia Marii, Cinnae, Sullae vixdum finita, quum novum suboriretur inter Pompejum et Caesarem, innui* arbitratur; in altera parte *periculosae — tractas* difficultatem rei susceptae ornate et docte designatam esse pro: *opus periculosissimum, rem magnam et arduam moliris,* quam sententiam verbis *et incedis — doloso* variatam et majore cum vi esse expositam. — Quamvis concedere possimus, in extremis verbis notationem difficultatis, rei arduae latere, frustra tamen interpres argutiarum ope amoliri studet iteratam commemorationem ejus belli, quod jam specialiter in praecedentibus descriptum censet. Quae si interpretatio recta esset, poëta aut universe diceret: *scribis de impietate civilium bellorum,* aut singillatim: *explicas de impietate civilium bellorum Marii, Cinnae, Sullae.* Utramque vero sententiam ab hoc loco alienam esse, rationi

[1]) cf. Doeringium, Orellium, Regelium a. h. l. Düntzer über zwei Oden des Horaz in der Zeitung für die Alterthumswissenschaft v. Dr. Zimmermann, 5ter Jahrgang, 1838, Eilftes Heft, pag. 1067.

[2]) Mitscherlichius a. h. l.

praeceptisque logicis repugnare, non est, quod persuadeamus lectori, qui putet, etiam lyricum poëtam legibus sic esse adstrictum, ut certum debeat ordinem sententiarum observare.

Orellius, Duentzerus, Regelius verbis *et arma — cruoribus* bellum civile Pompeji et Caesaris, ceteris autem secundae strophae pericula, quae conjuncta fuerint cum Pollionis suscepto, exprimi censent: *vix enim aliter fieri potuisse, quam ut aut Antonium* (ante cujus mortem Duentzerus hoc carmen scriptum arbitratur) *aut hunc vel illum, filios quoque et amicos eorum, quorum magnae in bello partes fuissent, etiam vero simpliciter patefacto, laederet.* — Haec interpretatio periculi, quod magnificentissimis sane verbis a poëta est adumbratum, ambigua et a rebus temporibusque atque Horatii animo est aliena. Primum enim non liquet, de quali periculo poëta cogitaverit. Num fortasse ejus animo obversabatur frigus amicorum [1]) et vera rerum narratione laesorum odium incommoda allaturum, an virorum potentium offensio et jus et fustes? Deinde quonam consilio hoc periculum est commemoratum? Deterrere vult poëta Pollionem a scribendo, an impellere, ut verum taceat cauteve ambagibus verborum occultet, an collaudare, quippe qui rem licet arduam et periculosam forti animo et intentis viribus sustineat? Tum ejus periculi facta mentio rebus et temporibus, quibus Pollio scripsit, non convenit. Sive enim hoc carmen ante pugnam Actiacam sive a. u. c. 725-727 scriptum est, animi Romanorum tunc non adeo fracti et dominationi principum obnoxii erant, neque libertas judicii et orationis ita oppressa et exstincta, ut scriptores propter timiditatem non auderent vera profiteri et scriptis suis divulgare. Quanta libertas et quam integra paene fuerit sub Julio Caesare et ante pugnam Actiacam et sub Octaviano, Tacitus (Annal. 4, 34) optime testatur describens servitium, quod Tiberio imperante grassabatur, quibus temporibus adeo periculosum erat imagines Bruti et Cassii in funeribus proferre [2]). Quid Pollionis temporibus licuerit scriptoribus, suo ipse exemplo Horatius ostendit, qui in Satiris multa cum libertate aequalium vitam, mores vitiaque perstringit nunquam timens, ne ullum periculum subeat, dummodo vera scribat [3]). Alibi laudat Catonem [4]) et Carm. 3. 16, 15 — 16 rem Augusto Octaviano nequaquam honorificam attingit, quatenus Menas pecunia corruptus notatur, qui tamen bis a Sexto Pompejo ad illum transiit. Quantum vero absit, ut interpretes vinculorum obliti arctorum, quibus hodie scriptores coërceantur, veterum libertatem

[1]) cf. Hor. Sat. 2. 1, 62.

[2]) cf. Tac. Annal. 3. 76.

[3]) cf. Hor. Sat. 2. 1, 84 — 86.

[4]) cf. Hor. Carm. 1. 12, 35.

recte aestiment, inde patet, quod Orellius Horatium excusandi causa ibi scribit: *poterat autem hunc hominem (Menam) Horatius eo facilius notare, quum ab ipso Octaviano proditor, ut fit, contemneretur.* Neque sic rei ignominiam tolli, vir doctus non vidit; non enim Menas, qui jam a. u. c. 719, ut Dio (49, 37) testatur, in Pannonia pugnans ceciderat, illis verbis pungitur. Illud vero carmen ante a. u. c. 723 scriptum esse non potest, quo anno poëta Sabinum a Maecenate dono accepit.

Sed quum interpretes singula explicuisse satis habeant neque, quid cunctis conjunctisque dicatur, curent aut curare vereantur, nostrum est secundum accuratam interpretationem et vim veram verborum ordinem sententiarum exponere. — Omissis igitur verbis ultimis strophae secundae (*Periculosae — doloso*), ceteris parvo discrimine haec continentur: *Bellum civile*, (*turbas civiles*) *causas*, *vitia*, *modos casusque belli*, *amicitias Pompeji*, *Caesaris*, *Crassi* (i. e. causam motus et belli) *bellum civile* (*impietatem bellorum civilium Marii*, *Cinnae*, *Sullae*,) *tractas*. Haec sententiarum confusio, qua idem bellum duobus tribusve locis cum causis mire commiscetur bis commemoratis, excusari posse fortasse videatur interpretibus, qui censeant, poëtam lyricum, qui aliquanto commotiore et erectiore animo rem tractet, quaelibet quolibet loco dicere posse. Id me non putare, ingenue fateor, et Horatium omnia carmina apte accurateque composuisse, certo scire mihi videor. Poëta enim quum usque sui potens et logicam rationem diligenter observans et meditatione accurata magis usus quam impetu quodam animi fervido agitatus ad quaeque accedebat tractanda, tum hujus carminis primordium certe placida et sedata rerum contemplatione fecit neque in reliquis partibus tam excelso assurrexit spiritu, ut satis excusari unquam posset, si minus diligenter sententias connexuisset. Id non factum esse, jam diximus, neque quidquam est, quod nobis imminuat delectationem, quae praebetur copia et ornatu verborum sententiarumque luminibus, quibus hoc carmen est distinctum.

Secundum nostram igitur sententiam hae strophae, ut primum res universe ordinemus, duas partes continent.

1) Motus civiles bellique causas, *Motum — amicitias.*

2) Bellum ipsum Pompeji et Caesaris, *Et arma — doloso.*

Hae partes sic constituantur necesse est propter conjunctiones, quibus verba sunt connexa. Poëta enim particulis *et*, *que* consulto utitur. Quippe arte quadam insigni, consentanea autem legibus Latinae linguae, integra genera aut species rerum per conjunctionem *et* copulat, additamenta vero et complementa per conjunctionem *que* adjicit. Genera verbis *motum* cum additamento *bellique causas* et *arma*, species causarum ceteris continentur. Hic usus particularum quum satis notus sit et quotidie in legendis scriptoribus observetur, copia exemplorum non probandus videtur. Poëta igitur primo versu motus civium, turbas civiles, quae ex illo anno, quem supra dixi, rempublicam concutiebant, commemorat. Eum tamen non de his motibus solis cogitasse, ideo apparet, quod non pergit, *causasque* sed *bellique causas*. Sic enim disjungit bellum a turbis indicatque temporum decursu etiam bellum civile esse ortum, ad illos motus accessisse. Utriusque igitur rei, et civilis motus et belli, causas in animo volvit. Jam singillatim has causas nuncupat, *et vitia et modos* (*Fortunae*). Per *vitia*, quod vocabulum vim pravitatis, corruptionis habet eumque saepe populorum statum, quo deposita vetere disciplina in mollitiam luxuriamque delapsi sint, significat [1]) neque, ut imitatio orationis pedestris caveretur, interpretamentum accipere potuit, Horatius pravitatem populi Romani designat, quam principem motuum civilium bellique causam putat. Haec morum pravitas satis magna et secunda fortuna rebusque feliciter gestis inducta erat ac totum fere statum populi remquepublicam converterat, ut eam Pollio de bellorum civilium causis explicaturus omittere non posset.

Carthagine enim deleta et imperio totius paene orbis terrarum occupato ingens vis pecuniae omnisque generis divitiae Romam redundarunt et nequitiam, luxuriam libidinesque varias intulerunt. [2]) Inde avaritia dominari coepit et homines ad scelus quodque patrandum impulit. Pecunia omni ratione, recta et prava quaerebatur, testamentis captandis, matrimoniis ineundis, fide violanda, fraude, furto, rapina facienda. Frater fratrem, ut solus esset heres patrimonii, necare, filius patri matrive insidiari, hospes hospitem perimere, socius socium decipere opibusque privare, fideicommissa negari accepta. Veneno, laqueo, sica grassabantur, ut infamem explerent divitiarum sitim. Exhauriebant provincias, peculatum faciebant, aerarium spoliabant. [3]) Quae sitis divitiarum eo magis augebatur, quo major erat admiratio, quae iis contingebat. Divitiae enim nobilitatem, eloquentiam, doctrinam, claritudinem rebus civilibus et bellicis partam, virtutes animi et corporis superabant dignitate. Divitiis instructi libidinibus impune indulgere poterant, voluptates corporis, magistratus, honores summos, quaecunque volebant, sibi pariebant, rei culpam

---

[1]) cf. Hor. Ep. 2. 1, 49. In vitium fortuna labier aequa (Graecia coepit).

[2]) cf. Vellej. Paterc. 2, 1. Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu sublataque imperii aemula non gradu sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad *vitia* transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas.

[3]) cf. Plut. Cat. min. c. 16 — 18.

et poenam subterfugiebant, jus et leges eludebant. Ita omnibus virtutibus priscorum Romanorum, fide, parsimonia, frugalitate, exutis non patriae salutem, sed suum ipsorum commodum appetebant. Magistratus pariter ac senatores hac tabe infectos fuisse, historia Jugurthae ostendit, qui eos corrupit atque etiam tribunum plebis C. Baebium pecunia permovit, ut intercedendo justitiam impediret. Neque infimae partes populi integriores erant, sed divitiarum splendore occaecatae et luxuria opulentorum irritatae, desidia et voluptatum cupiditate ductae Romam implebant et largitionibus sportulaque vivebant atque libertatis immemores ad corruptorum nutum, quaecunque jubebantur, faciebant. Quo in certamine omnium ordinum civitatis instituta subvertendi quid mirum est, conjurationes proditionesque patriae quotidianas fere fuisse? Et sane insigni audacique homini cuique facile erat ad scelera nequissima quaeque, etiam ad rempublicam evertendam diversorum ordinum assequi auxilium. Itaque ordines in ultimo saeculo liberae reipublicae commixti ad mala patriae inferenda incumbebant; nobiles cum plebejis ambitione gloriaeque cupiditate et suae utilitatis studio moti quemlibet ducem sequebantur et adjuvabant. Quae Marius cum impudentibus sodalibus Glaucia et Saturnino, deinde cum Cinna conjunctus, Sulla, Lepidus, Catilina ausi sunt, et Metellus Nepos [1]) suscepit, ut Pompejo dominationem pararet resistente Catone, illo intrepido libertatis vindiee ac virtutis justitiaeque propugnatore, ea documento sunt, et quam corrupti mores, et quam accepta jam tunc Romanis singulorum paucorumve dominatio fuerit. Illi enim viri omnes non tam factionum ordinumve suorum, quam suae ipsorum potentiae, quod extremorum liberae reipublicae temporum erat proprium, consulebant atque commodis utilitatique amicorum modo serviebant, ut eorum voluntate viribusque ad opes suas augendas uterentur. Ad hos autem mores corruptos et publicam calamitatem cumulus accesserat sceleribus caedibusque, quae bellis civilibus a Mario et Sulla viris praepotentibus aut eorum factionibus invicem committebantur et perpetrabantur aut praemiis ornabantur, quibusque omnis pudor verecundiaque et sensus humanitatis in hominum animis exstinguebatur, immanis vero crudelitas et contemtus justi rectique alebatur. —

---

[1]) cf. Plut. Cat. min. c. 26 — 28. Metellus Nepos tribunus plebis rogationem promulgaverat, ut Pompejus ad urbem contra Catilinam defendendam cum exercitu ex Asia rediret. Cato, qui eodem munere fungebatur, huic rogationi, quam latam sciebat, ut Pompejus rerum potiretur, intercedere constituit. Convocata igitur concione Metellus armatis in propinquo collocatis Catonem terrere studuit, ejus intercessionem neglexit, postremo eum cum amicis ope illorum armatorum de rostris depulit.

Quodsi verbo *vitia* causae civilis motus bellique tanquam necessariae et e statu reipublicae designantur profectae, sequentibus fortuitae indicantur. *Fortunam* hominibus et secundas et adversas res non solum in bello sed etiam in pace, et quaecunque sine eorum culpa meritove accidant, ad libidinem distribuere, satis constat [1]). Non minus notum est, ei vulgo inconstantiam, mutabilitatem attribui, et poëtarum scripta ejus rei exemplis esse referta. Itaque hic legimus *modos Fortunae*, i. e. rationes, quibus res humanas regat, hominum sortes constituat et varias reddat. Quae mutabilitas et inconstantia augetur verbo *ludum*, quod haud raro huic deae datur et indicat, eam illudere rebus humanis, eas ludibrio habere et libenter praeter omnem spem et exspectationem constituere et moderari. His modis ludoque Fortunae etiam *graves principum amicitias* adscribendas esse, conjunctione infirmiore *que*, qua haec cum illis sunt conjuncta, perspicuum est. Modi vero et ludus Fortunae maxime deprehenduntur in vita Pompeji, qui imprimis belli civilis causas imprudentia sua struxit [2]).

Marianarum enim partium vires opesque a Sulla ex Asia reverso per bellum et proscriptionibus prostratae et fractae, reliquiae post ejus mortem in Italia et Hispania deletae erant, popularium igitur potentia in perpetuum sublata, senatus autem imperium denuo conditum et firmatum esse videbatur, quum Fortuna jubente subito Pompejus, antea sua sponte fautor partium Sullanarum optimatiumque, a. u. c. 684 tribunitiam potestatem, qualis ante Sullam fuerat, restituit [3]) atque in tribunis fontem seditionum turbarumque reclusit perennem et, dum Crassus collega senatus favore fruitur, sibi placuit stipatus ingenti popularium comitatu, sine quo in publicum nunquam prodiit [4]). Idem Pompejus, qui admodum juvenis facili negotio a Perperna in Sicilia, a Domitio in Africa victoriam reportaverat, tumultum Lepidi socio ejus Bruto corrupto et decepto sedaverat [5]), gloriam servilis belli finiti sibi pepererat, victorias claras et faciles favore Fortunae in bello piratico et Mithridatico nactus in Asia tanquam dominus imperii Romani, quaecunque volebat, instituerat atque arbitrum regnorum dynastarumque se gesserat, reversus adeo impune

---

[1]) Veteres solebant praecipue culpam publicarum calamitatum non in mortales auctores conferre, sed eas deorum irae Fortunaeve reipublicae tribuere.

[2]) Inter omnes constat, post Sullae mortem Pompejum res gravissimas civitatis Romanae administrasse.

[3]) cf. Plut. Pomp. c. 22.

[4]) cf. Plut. Pomp. c. 23.

[5]) cf. Plut. Pomp. c. 16.

rerum potiri poterat, nisi sui nimius admirator precibus Romanorum coactus eorum dominus fieri cupivisset: idem, inquam, Pompejus, quum Lucullo et Catone praecipue resistentibus assequi non posset, ut, quae in Asia instituerat, ea senatus rata faceret, per hanc primam Fortunae offensam adeo animo perturbatus et mente quasi captus fuit, ut propensus esset ad societatem cum teterrimo quoque et audacissimo homine ineundam, dummodo vanae gloriae cupiditati et inanium rerum studio satisfaceret [1]. Ludo ludibrioque Fortunae factum est, ut tum maxime Caesar ex provincia reversus consulatum peteret et potentiam suam augere cuperet. Hic statim Crassum Pompejo, qui claritudine, quam Fortuna juvante sibi comparaverat, et arrogantia, qua haud raro in alios utebatur, invidiam amicorum veterum Sullae moverat [2], reconciliavit atque utriusque praesidio usus est ad consilia sua exsequenda; neque tamen fortasse, quod volebat, adeptus esset, nisi Cato Pompejum filiam [3] aut neptem [4] petentem repudiasset et hoc modo ei tradidisset.

Hac ratione illa societas conflata et Juliae nuptiis postea est confirmata, quae soli Caesari utilitatem attulit, Pompejo autem et civitati detrimento fuit [5]. Fortunae igitur mobilitate, inconstantia ludibrioque, non necessitudine quadam rerum est factum, ut inimici in gratiam secum redirent, de suis commodis non recte existimantes amicitiam facerent, quae secundum Catonis quidem sententiam urbi primam et maximam intulit calamitatem [6]. Neque hi motus neque bellum civile ortum esset sine illa societate, quae reipublicae fundamenta penitus concussit, reliquam omnem legum institutorumque auctoritatem sustulit, etiam speciem modestiae continentiaeque aspernans licentia libidineque omnia miscuit.

Quae nisi omnia a scriptore hujus belli exponantur, vix intelligatur, quomodo fieri potuerit, ut Pompejus, Caesar, Crassus societate contra patriam inita civitatem per plures annos regerent, ingentes et graves in urbe motus excitarent et alerent, Milo et Clodius in vicis Romae arma conferrent, Pompejus dictaturae dominationique inhians rebus urbis prorsus turbatis tandem Catone concedente consulatum sine collega adipisce-

---

[1] cf. Plut. Pomp. c. 46.

[2] cf. Plut. Pomp. c. 14 — 15.

[3] cf. Plut. Cat. min. c. 30.

[4] cf. Plut. Pomp. c. 44.

[5] cf. Plut. Pomp. c. 46.

[6] cf. Plut. Pomp. c. 47.

retur, postremo ejus factio eo dementiae procederet, ut Caesarem forti exercitu instructum ad bellum civile incipiendum cogeret.

In altera parte, quam paucis jam expediamus, verbo *arma* bellum significari, locis non probandum putamus. Verbis *nondum — cruoribus* opinio declaratur, illo bello caedibusque civium ibi factis jura divina violata, nefas commissum esse adhuc expiandum. Remoto igitur ornatu poëtico Horatius dicit: vestigia hujus belli, scelerum in eo commissorum etiamnunc conspicua, tollenda sunt. Ad ea per appositionem accedunt *periculosae — aleae.* Ut sic statuatur, structura juncturaque verborum flagitat, quae cum illis in unam comprehensionem sunt conjuncta. Ea nimirum poëta, si belli descriptionem rem arduam et periculosissimam appellare voluisset, post verbum *tractas* collocasset. *Opus* est, ut Graecum ἔργον, labor, facinus, *Werk*, et designat bellum, certamen [1]. *Alea* est proprie ludus talarius, in quo casus regnat, deinde per translationem res anceps, audax conatus, audacia, temeritas, qua res suscipitur, cujus eventus obscurus, in fortuna positus est neque ratione consilioque constitui providerique potest. *Periculosa* vero vocatur, quod in bello civili non solum de victoria, sed etiam de bonis vitaque dimicatur.

Verba appositionis apta sunt periculis audaciaeque Caesaris, qui suis ipsius viribus fretus adversariis intulit bellum, quod Pompejo reipublicae opibus propulsare licuit; et verisimile est, Horatium fuisse memorem verborum, quae Caesar ad Rubiconem periculis rei, quam moliretur, animo reputatis tandem necessitate compulsus atque audaciae et fortunae eventum committens dixisse fertur: *Ανεῤῥίφθω κύβος* [2], quorum alterum Latino verbo *alea* accurate expressum est. Quanta autem pericula Caesar subierit, quid audaciae suae, fortunae imprudentiaeque adversariorum in occupanda Italia, copiis in Epirum traducendis, rebus ad Dyrrachium, Pharsalum, in Aegypto, Africa, Hispania gestis debuerit, satis notum est.

Extremorum *et incedis — doloso* verbum *incedis,* ut *ordinaris* in versu 11. non proprie est usurpatum. Quum enim ex consuetudine trita a poëtis scriptores dicantur res gerere, administrare, quas scriptis suis tractent divulgentque, eo exprimitur: ignes

---

[1] Similia leguntur apud Virgilium Aen. 8, 515 — 16. Sub te tolerare magistro Militiam et grave Martis opus; — et apud Homerum Jl. II. 733. *Μέγα ἔργον Ἄρηος;* cf. Ovid. Met. 1, 445. Hor. Sat. 1, 7, 35.

[2] cf. Plut. Pomp. c. 60.

describis, narras. Verbum *ignes* proverbii speciem habet, ut saepe apud poëtas Latinos [1]) et apud Graecos verba *διὰ πυρὸς βαίνειν* [2]), *εἰς πῦρ ἅλλεσθαι*, et extrema quaeque pericula designat. Quae tamen pericula non aperta, sed occulta sunt (*suppositos cineri doloso*). Ut igitur illic bellum civile universe arduum et audaciae magis quam consilii rationisque opus declaratur, ita hic ea sententia augetur commemoratione periculorum occultorum, quae caveri non possunt atque inopinato, quando et unde minime exspectantur, ingruentia eo majorem terrorem et calamitatem inferunt decertantibus. Talia, quemadmodum in omnibus bellis civilibus, sic in hoc crebra fuisse, non est docendum.

Haec omnia cum caede Pompeji et Caesaris scriptori hujus belli sunt non solum exponenda, verum etiam eorum causae remotissimae et proximae indagandae et investigandae. Jam ut subeuntibus bellum propter casus creberrimos diversissimosque arduum et difficillimum fuit, sic ejus descriptio summam artem et prudentiam flagitat ac propter copiam rerum variarum multipliciumque difficultatem haud parvam facessit narranti. Quam quidem incepti difficultatem poëta cogitatione comprehendit, quum sequenti stropha Pollionem moneret, ut curam omnem aliis studiis omissis in hac re poneret.

HORATII CARMINUM LIB. 3. C. 16. V. 29 — 32.

Purae rivus aquae silvaque jugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Hoc carmine sententia ab Horatio saepissime tractata illustratur: *vera felicitas continentia animi atque ea nititur conditione, qua homo habet, quod satis est.* Omnes igitur a vera illa felicitate sunt remoti, qui aut cupiditatibus, imprimis avaritia, commoventur, aut egestate premuntur.

Sententiarum ordo simplex perspicuusque ab interpretibus bene est expositus, neque cum iis de explicatione antecedentium versuum disceptandum et hoc solum profitendum est,

[1]) cf. Hor. Carm. 4. 14, 24. Sat. 1. 1, 39. Sat. 2. 3, 54. Ep. 1. 1, 46. Ovid. Met. 8, 76.
[2]) cf. Interpp. a. h. l.

mihi probari simpliciorem, qua in versu 25 *dominus* est possessor, (ut Carm. 2. 14. 24. Ep. 1. 2, 48), *splendidior* statu, honore, dignitate insignior, quumque de possessionibus agatur, ditior, locupletior, *contemtae rei* non ab ipso poëta, sed ab aliis iisque ditissimis hominibus: *parvae possessionis, praedii Sabini.* Causa, cur ita censeam, inest in summa carminis sententia, quam modo paucis attigi verbis, quaque patet, Horatium rem, bona nequaquam contemsisse, immo necessaria ad vitam beatam putavisse, ut versibus 43. 44. hujus carminis docetur [1]). Continentia igitur animoque paucis contento praeditus parva possessione sibi ditior videtur, quam si amplissimis divitiis ornatus avaritia vexaretur [2]).

Extremorum hujus strophae verborum *sorte beatior* explicationem difficilem et ab interpretibus varie esse tentatam, nemo nescit rei gnarus. Ea igitur Doeringius puncto post verbum *fallit* posito cum sequentibus jungit et reliquorum hunc sensum nexumque esse docet: *liquidissima illa voluptas, qua ego vel rivo vel silvis paucorum jugerum vel certo segetis meae proventu perfundor, latet eum, qui latifundiorum in fertili Africa se jactat possessionibus.* Quae interpretatio improbatur, quod verbum *fallit* non recte explicatum neque cunctis sic distinctis sententia vera est tributa, quae sola esse potest: *rivus, silva, fertilitas agri mei latifundiorum possessorem latent, ei ignota sunt.* De voluptate, quam Horatius ex his rebus ceperit, nihil dicitur. Quum autem haec sententia inepta sit et antecedentibus repugnet, extrema verba a reliquis strophae non esse disjungenda, per se patet.

Interpretes vero, qui mecum de verbis distinguendis consentiunt, explicandi rationem ineunt, quam equidem sequi non possum. Namque omnes fere vel *ὤν* vel *ὄν* supplentes ad usum loquendi Graecorum confugiunt, verbis haud aptas notiones subjiciunt obscurioraque omnia reddunt circumlocutionibus. Quorum alius [3]) verbum *sorte* praeterit et *fallit beatior* Graece interpretatus sensumque omnium aliis verbis explicare conatus suum sibi fecisse videtur. Alius [4]) nihil de *beatior*, *sorte* autem per possessionem, pretium, *Kapital.*

[1]) cf. Hor. Ep. 2. 2, 52.

[2]) cf. Hor. Ep. 1. 2, 56. Semper avarus eget.

[3]) cf. Regelium a. h. l. „Rivus et silva et seges mea fulgentem imperio fertilis Africae fallit sorte beatior, λανθάνει εὐδαιμονεστέρα οὖσα, h. e. agellus meus diviti ignoratur sorte beatior esse, s. beatiorem sortem mihi praebere, ignorat ille, me in tenui mea fortuna opulentiorem esse, quam ipsum in amplis suis possessionibus.“

[4]) cf. Orellium a. h. l. „Meum autem Sabinum fallit, latet eum sorte, possessione beatius ὄν, id est, nescit ille, praedium meum majora mihi gaudia praebere, quam ipse haurit ex multis

Besitzung explicat et paraphrasi utitur. Alii [1]) est *sors* possessio, *beatior* fertilior, et placet copia verborum, nequaquam perspicue, exponere, quae sententia verbis contineatur.

Haec ratio interpretibus admodum accepta, qua solent locorum difficilium sententias per ambitum verborum exponere, omnino improbanda est, quum neque verba accurate explicentur, neque difficultates, si quae sunt, expediantur, sed declinentur, et lectores fallantur.

Jam primum non putamus, in his verbis graecismum inesse. Quippe verbum *fallere*, quod vulgo vim decipiendi, inducendi habet, etiam usurpatur, si quid dicitur latere, scientiam visumve hominum effugere, et duplicem constructionem, impersonalem et personalem, ut verbis utar grammaticorum, recipit. Cicero, quod sciam, illam praefert, alii hanc non respuunt, Livius vero imprimis amat. In ea constructione verbo *fallere* participium plerumque additur, ut Hor. Ep. 1. 17, 10. *Nec male vixit, qui natus moriensque fefellit.* Liv. 8, 20. *Ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens.* Liv. 10, 14. *Non fefellere ad Tifernum hostes in occulta valle instructi.* Liv. 24, 29. *Vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant* [2]). Qua in re licet verbum *fallere* Graeco λανθάνειν conveniat, id tamen casu factum esse censemus, sicut in diversis linguis passim paria inveniuntur, quae tamen e cujusque populi indole consuetudineque nata neque extrinsecus petita sint. Quocirca interpretes haud bene ad usum loquendi Graecorum decurrerunt ὤν supplentes, non probantes, a Graecis apud verbum λανθάνειν participia omitti. Quod quum probaretur, nihil tamen auxilii inde fore ad hunc locum interpretandum, ideo contendere licet, quod Latini verbum ὤν nunquam usurpaverunt neque cogitando suppleverunt et tali participio tam facile caruerunt, ut ne Latinum quidem verbi *esse* in usum veniret. Si vero ceteris hominibus persuasum erat, se sine

---

et amplissimis suis possessionibus. Fallit noto significatu, pro fugit, latet eum, ignorat. Cum v. sors significet, quod nos dicimus das *Kapital*, die *Besitzung*, h. l. idem est, ac si dixisset, pretio. Ablativus autem est instrumentalis: beatior per pretium suum, quod ad pretium attinet" cet.

[1]) cf. Mitscherlichium a. h. l. „Agellus meus fallit fulgentem imperio fertilis Africae, latet possessorem latifundiorum Africae, ignoratur ei sorte beatior sc. ὤν, graece prorsus pro, sorte beatiorum esse, possessionem (nam ita sors accipienda utique h. l.) beatiorem esse, h. e. agrum meum opulentiorem esse, proventus ubertate omnes istius possessiones exsuperare" cet. „Sensus igitur est: Dives, qui totius Africae proventum colligit, vix sibi persuadebit, meum longe uberius esse praediolum. Hinc agri sors s. possessio beata non est, quod possessorem beatum reddit, sed fertilis, ubertate praestans, proventu uber" cet.

[2]) cf. Drakenborchium ad Liv. 41, 2, qui magnam copiam exemplorum hujus usus collegit.

illo participio cogitata sua apte elocuturos esse, num putandum est, poëtam linguae patriae imprimis gnarum, ingenio et arte insignem non potuisse, nisi animo saltem peregrinum verbum moventem, quae mente conceperit, efferre? Sed fortasse nescio quam elegantiam in supplendo hoc participio inesse interpretes opinantur!

Equidem ejusmodi elegantias aspernor et censens, graecismos in Horatii scriptis non temere augendos esse, contendo, verba Latinae linguae convenienter posse explicari. His enim similia sunt apud Livium, (25, 9) *Ne quis agrestium procul spectator agminis falleret.* Ut ibi verba *procul spectator agminis* per appositionem accuratius designant, quos agrestes Hannibal a suis comprehensos necatosve voluerit, sic hoc loco verba *sorte beatior* pari ratione addita sunt, ut rerum commemoratarum conditionem, statum, qui divitem lateret hominem, definirent. Altera pars comparationis, possessiones istius hominis divitis dico, quibus rivus, silva, seges superiora, beatiora cogitantur, omissa est. Haec constructio apud nullum scriptorem, cui est accepta, reprehendenda est, neque a poëta in primis verbis strophae inchoata in extremis mutari potuit.

Deinde singulis verbis non aptae notiones ab interpretibus sunt subjectae. Festus enim quamquam (s. v.) dicit, *sortem* etiam patrimonium significare, indeque consortes vocari, qui eodem patrimonio gaudeant, neque tamen contendit, quamvis possessionem ita appellari, et quid haec notio verbi rivo, silvae, segeti additi sibi velit, me nescire profiteor. Tum Varro (L. L. 5, 7.) refert, *sortem* esse summam, sive caput et primam pecuniam, quae conferatur, ut inde lucrum fiat. Quamvis autem *sors* sit pecunia foenori data et ad hominem, qui eam mutuam dederit, optime referatur, eam tamen verbi vim rebus, quarum in hac stropha mentio fiat, aptam esse, mihi persuadere non possum. — Postremo nimirum verbo *beatior* passim fertilitatis notio est subjecta, sed ab hoc loco aliena est, quod res sunt commemoratae, quibus haec virtus tribui nequit. Videlicet interpres, qui recte vidit, de praedio Sabino agi, non reputavit, poëtam ita ejus mentionem facere, ut singulas partes et bona, rivum, silvam, fertilitatem nominet earumque rerum unamquamque beatiorem praedicet. Necesse igitur est, sensus hujus verbi is sit, qui rebus singulis aeque ac toti praedio conveniat.

Secundum nostram sententiam verbum *sorte* notat conditionem a Fato decretam nostroque *Loos*, *Schicksal* respondet, et *beatior* est *glücklicher*, quae significatio prima censetur. Haec stropha cum antecedenti cohaeret. Poëta enim, qui pro studio mediocritatis suo se illic splendidum divitemque possessione Sabini factum dicit, hic singillatim exponit, quibus ejus rebus virtutibusque id debeat. Rem tamen ita instituit, ut opinionem istius contemtoris divitis sequatur et refutet. Rivum igitur, silvam paucorum jugerum,

Besitzung explicat et paraphrasi utitur. Alii [1]) est *sors* possessio, *beatior* fertilior, et placet copia verborum, nequaquam perspicue, exponere, quae sententia verbis contineatur.

Haec ratio interpretibus admodum accepta, qua solent locorum difficilium sententias per ambitum verborum exponere, omnino improbanda est, quum neque verba accurate explicentur, neque difficultates, si quae sunt, expediantur, sed declinentur, et lectores fallantur.

Jam primum non putamus, in his verbis graecismum inesse. Quippe verbum *fallere*, quod vulgo vim decipiendi, inducendi habet, etiam usurpatur, si quid dicitur latere, scientiam visumve hominum effugere, et duplicem constructionem, impersonalem et personalem, ut verbis utar grammaticorum, recipit. Cicero, quod sciam, illam praefert, alii hanc non respuunt, Livius vero imprimis amat. In ea constructione verbo *fallere* participium plerumque additur, ut Hor. Ep. 1. 17, 10. *Nec male vixit, qui natus moriensque fefellit.* Liv. 8, 20. *Ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens.* Liv. 10, 14. *Non fefellere ad Tifernum hostes in occulta valle instructi.* Liv. 24, 29. *Vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant* [2]). Qua in re licet verbum *fallere* Graeco λανθάνειν conveniat, id tamen casu factum esse censemus, sicut in diversis linguis passim paria inveniuntur, quae tamen e cujusque populi indole consuetudineque nata neque extrinsecus petita sint. Quocirca interpretes haud bene ad usum loquendi Graecorum decurrerunt ὤν supplentes, non probantes, a Graecis apud verbum λανθάνειν participia omitti. Quod quum probaretur, nihil tamen auxilii inde fore ad hunc locum interpretandum, ideo contendere licet, quod Latini verbum ὤν nunquam usurpaverunt neque cogitando suppleverunt et tali participio tam facile caruerunt, ut ne Latinum quidem verbi *esse* in usum veniret. Si vero ceteris hominibus persuasum erat, se sine

---

et amplissimis suis possessionibus. Fallit noto significatu, pro fugit, latet eum, ignorat. Cum v. sors significet, quod nos dicimus das *Kapital*, die *Besitzung*, h. l. idem est, ac si dixisset, pretio. Ablativus autem est instrumentalis: beatior per pretium suum, quod ad pretium attinet" cet.

[1]) cf. Mitscherlichium a. h. l. „Agellus meus fallit fulgentem imperio fertilis Africae, latet possessorem latifundiorum Africae, ignoratur ei sorte beatior sc. ὤν, graece prorsus pro, sorte beatiorum esse, possessionem (nam ita sors accipienda utique h. l.) beatiorem esse, h. e. agrum meum opulentiorem esse, proventus ubertate omnes istius possessiones exsuperare" cet. „Sensus igitur est: Dives, qui totius Africae proventum colligit, vix sibi persuadebit, meum longe uberius esse praediolum. Hinc agri sors s. possessio beata non est, quod possessorem beatum reddit, sed fertilis, ubertate praestans, proventu uber" cet.

[2]) cf. Drakenborchium ad Liv. 41, 2, qui magnam copiam exemplorum hujus usus collegit.

illo participio cogitata sua apte elocuturos esse, num putandum est, poëtam linguae patriae imprimis gnarum, ingenio et arte insignem non potuisse, nisi animo saltem peregrinum verbum moventem, quae mente conceperit, efferre? Sed fortasse nescio quam elegantiam in supplendo hoc participio inesse interpretes opinantur!

Equidem ejusmodi elegantias aspernor et censens, graecismos in Horatii scriptis non temere augendos esse, contendo, verba Latinae linguae convenienter posse explicari. His enim similia sunt apud Livium, (25, 9) *Ne quis agrestium procul spectator agminis falleret.* Ut ibi verba *procul spectator agminis* per appositionem accuratius designant, quos agrestes Hannibal a suis comprehensos necatosve voluerit, sic hoc loco verba *sorte beatior* pari ratione addita sunt, ut rerum commemoratarum conditionem, statum, qui divitem lateret hominem, definirent. Altera pars comparationis, possessiones istius hominis divitis dico, quibus rivus, silva, seges superiora, beatiora cogitantur, omissa est. Haec constructio apud nullum scriptorem, cui est accepta, reprehendenda est, neque a poëta in primis verbis strophae inchoata in extremis mutari potuit.

Deinde singulis verbis non aptae notiones ab interpretibus sunt subjectae. Festus enim quamquam (s. v.) dicit, *sortem* etiam patrimonium significare, indeque consortes vocari, qui eodem patrimonio gaudeant, neque tamen contendit, quamvis possessionem ita appellari, et quid haec notio verbi rivo, silvae, segeti additi sibi velit, me nescire profiteor. Tum Varro (L. L. 5, 7.) refert, *sortem* esse summam, sive caput et primam pecuniam, quae conferatur, ut inde lucrum fiat. Quamvis autem *sors* sit pecunia foenori data et ad hominem, qui eam mutuam dederit, optime referatur, eam tamen verbi vim rebus, quarum in hac stropha mentio fiat, aptam esse, mihi persuadere non possum. — Postremo nimirum verbo *beatior* passim fertilitatis notio est subjecta, sed ab hoc loco aliena est, quod res sunt commemoratae, quibus haec virtus tribui nequit. Videlicet interpres, qui recte vidit, de praedio Sabino agi, non reputavit, poëtam ita ejus mentionem facere, ut singulas partes et bona, rivum, silvam, fertilitatem nominet earumque rerum unamquamque beatiorem praedicet. Necesse igitur est, sensus hujus verbi is sit, qui rebus singulis aeque ac toti praedio conveniat.

Secundum nostram sententiam verbum *sorte* notat conditionem a Fato decretam nostroque *Loos*, *Schicksal* respondet, et *beatior* est *glücklicher*, quae significatio prima censetur. Haec stropha cum antecedenti cohaeret. Poëta enim, qui pro studio mediocritatis suo se illic splendidum divitemque possessione Sabini factum dicit, hic singillatim exponit, quibus ejus rebus virtutibusque id debeat. Rem tamen ita instituit, ut opinionem istius contemtoris divitis sequatur et refutet. Rivum igitur, silvam paucorum jugerum,

certam fertilitatem, denique praedium suum, quod ille contemnat, beatum propter sortem qua fruatur, praedicat. Poëtarum nimirum more et vivida quadam imagine Horatius praedium suum fingit sensu praeditum esse atque animi tranquillitate, securitate, hilaritate frui. Ejus animo sine dubio obversata est imago hominis, qui pro viribus annisus, ut omnia a domino mandata negotia conficeret, jam laetatur, quod operam suam non frustra consumsit, sed ille vultu hilari ac laeto et verbis benignis profitetur, sibi esse satisfactum. Talis sors praedio Sabino obvenerat. Dominus enim (Horatius) bona et commoda ejus ex aequo aestimavit, gaudia quamvis modica (*rivus et silva*) grato animo percepit, utilitatem (*certa segetis fides*) laudavit. *Beatiorem* autem rem suam appellavit tacite comparans cum illius hominis ditissimi possessionibus, quas secundum contrariam imaginem sorte infelices putabat, quum nactae essent dominum, qui villas splendidissimas, hortos pulcherrimos, piscinas spatiosissimas, agros fertilissimos, pecora et armenta nitidissima frigido animo contemplaretur, a vita beata remotissimus ea omnia lucro solo, quod inde fieret, aestimaret, vultu severo ac tristi tanquam terreret ac verbis horridis increparet, quod usque spe minora neque unquam praeberent ea, quibus insatiabilem expleret divitiarum cupiditatem.

Talis homo vix sibi persuadere poterat, praedium Sabinum, quod cum poëtae villico pro tesquis fortasse habebat, sorte beatius suis possessionibus esse, sive Horatium ejus possessione esse contentum. Quum vero poëta re parva sua etiam ditissimis hominibus se superiorem profiteretur et praedium, quod emolumenta et gaudia grata sibi praeberet, beatum praedicaret, optime nimirum testatus est, quam gratum acceptumque Maecenatis donum haberet quantique aestimaret.

Sine ulla igitur veritatis superlatione sententiarum ordo inde a versu 21 usque ad finem carminis hic est: „Quo quis majore continentia utitur, eo plura possidet. Me igitur neque divitiis pollentem neque earum cupidum res parva mea ditiorem reddit, quam si in amplissimis opibus averitia vexarer. Et praediolum (igitur) meum mihi magis satisfacere quam sibi maximas divitias, nescit iste possessor latifundiorum. Quamquam enim latitudine et varietate possessionum non fulgeo, egestate tamen non premor et, si plura velim, a te accipiam. Sed contracta cupidine majores reditus habebo, quam si agros Asiae fertilissimos latissimosque possideam. Nam qui cupit, eget, is felix est, qui habet, quod satis est.“

HORATII CARMINUM LIB. 3. C. 24. V. 1 — 8.

Intactis opulentior
　Thesauris Arabum et divitis Indiae
Caementis licet occupes
　Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
　Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu
　Non mortis laqueis expedies caput.

Mitscherlichius unus ex omnibus interpretibus, quorum editionibus Horatianorum carminum mihi uti licebat, hujus loci verba difficilia *si figit* — *clavos* jam dudum recte explicuit, quum actionem symbolicam inesse ostenderet. Cui quum interpretationi, quamvis eam auctor optime tuitus sit, veteres explicationes postea relatae propter famam commendatorum officiant, has his plagulis refutare et illam ipsam denuo accuratius illustrare constitui. Semper autem miratus sum, quod eam subsequentes interpretes non modo non probaverunt sed ne commemoraverunt quidem. Sed quod vir doctus sententiam suam paulo obscurius fortasse subtiliusve exposuit dicens, Necessitatem eum, in quo vim suam exsereret, clavis fixum tenere, idque summis verticibus, in summo vertice eos defigendo, neque tamen de effectu, quem clavus per caput adactus produceret, cogitandum esse, judicia aliorum turbavit neque iis opinionem exemit, Necessitati carnificis munus tribui, quam imaginem jure omnes aversantur. Facillime autem pars quidem sequentium interpretum hanc explicationem confirmare potuit subsidio nuper reperto, illud dico Etruscum speculum pateramve, quae infra accuratius describetur et huic loco mire lucem afferet. Tantum vero abfuit, ut quisquam eorum rationem a viro docto initam sequeretur, ut ea relicta omnes, alius ad aliam quantumvis ingeniose disputatis explosam et refutatam deferrentur interpretationem.

Itaque Doeringius quum Necessitatem ad homines morti destinatos accedentem eorumque capitibus clavos infigentem faciat, illam foedam carnificis imaginem reducit. Qua in interpretatione adeo non sibi fidit, ut etiam dubitet, utrum verbum *summis* epitheton ornans sit, an superbiam divitum nimis saepe verticem attollentium declaret.

Etiam Orellius, qui in explicandis Venusini vatis carminibus plerumque subtili judicio utitur et ex diversissimis interpretationibus rectam eligere et simplicissima ratione tueri solet, hic aliam, ac sperare licebat, sententiam secutus est. Deceptus enim versibus 3. 4., in quibus aedium substructiones commemorantur, Dacierii interpretationem probat verba *summis verticibus* ad culmina aedificiorum referens. Namque vix putaverim, epitheto *summis* addito humanis capitibus eum vere offensum esse, quod non magis mirum his junctum quam culminibus aedium et in utraque ratione est epitheton ornans. Ipsius vero culpa est, si clavos capitibus humanis infixos ita intelligit, ut inde foedissima imago prodeat. Error tamen ejus eo magis mirus est, quo plenius ea, quae ad rectam interpretationem necessaria erant, collegit. Praeter locos enim e Graecorum scriptis sumtos etiam illa Etrusca patera ei adjumento est. Attamen postremo totam imaginem sic esse informandam censet: *Dum homo ille locuples assidue moles jacit aedesque exstruit, necopinato Εἱμαρμένη, Ἀνάγκη supervenit clavosque suos, quibus nihil resistere potest, in aedium culmine figit, domino veluti acclamans: Hucusque nec ultra: adest tibi terminus fatalis.*

Hanc interpretationem, quam Mitscherlichius insulsum phantasma appellat, Regelius vero rectissimam putat, vir doctus festinantius quam prudentius promsit neque ad sensum locorum allatorum neque ad verborum *adamantinos clavos* notionem primariam *firmitatis, alligandi* accommodavit. Metallo enim cuique subjecta est notio duritiei, firmitatis [1]), maxime vero adamanti, rei durissimae materiae [2]). Ratio autem loquendi, qua scriptores exprimunt, *rem clavis fixam* esse firmam, irrevocabilem, immutabilem [3]), apud Romanos tam trita erat, ut etiam in proverbium veniret. Cicero enim dicit: (Verr. 2. 5, 21) *Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret.* Jam haec notio cumulate est descripta in Hor. Carm. 1. 35, 17 sqq., ubi Necessitas clavis trabalibus, cuneis, uncis, plumbo liquido instructa apparet. Quae res ut in domibus aedificandis ab opificibus ad densandos, conjungendos, confirmandos lapides trabesque adhibentur, ita Necessitati tributae invictam ejus potentiam, violentiam declarant et ostendunt, quaecunque hoc numen jubeat, ea esse immutabilia, rata. Si autem cumulus insignium Necessitatis nimius illo loco fortasse ferri potest, at hoc tamen ineptus fuisset, et singulari consilio poëtae convenit commemoratio clavorum, quorum vis epitheto adamantinorum augetur. Necessitas igitur quod adamantinis clavis figit, id reddit firmum, immutabile, potestati suae ita subjicit, ut nullam nisi ipsius voluntatem jussaque sequi possit, cavet, ne moveatur, elabatur, effugiat. Quae quidem actio ad eas res, quae moventur aut suam voluntatem arbitriumque sequuntur, apte quadrat, sed in aedium culminibus, ut in montium cacuminibus, inanis est. Sed ne praeterea demonstremus, aedificii commemorationem prorsus incertam esse, quum cogitari possit de eo, in quo dives homo habitare soleat, aut de eo, quod nuper condiderit inchoaveritve, fac hac ratione a Necessitate potentiam in aedificio splendidissimo et nuper ad alterumutrum mare condito ostendi, ea tamen nihil ad dominum attinet. Dea enim sic hoc aedificium, ut cetera omnia mundi, suae potentiae et voluntati esse obnoxium declaret et quodammodo interitum ei destinet. Quod licet deinde exspectatione citius corruat, dominus tamen se an Fato ita monitum non putet, omnes, etiam firmissimas res esse fluxas, ideoque sibi aliquando finem vitae futurum, sibi esse moriendum, immo iratus redemtores opificesque verbis severis increpet, quum nimia in eo exstruendo usi sint negligentia. Quoquo igitur te verteris, nihil sani in hac interpretatione inest. Denique imago, qua Necessitas in culmine aedium sedens clavosque figens tanquam importuna bubo tristia domino canat, tam inepta et putida est, ut putemus, poëtam ne joco quidem potuisse eam mente concipere.

Verbis *figit adamantinos clavos* explicatis jam restat, ut cetera et totam imaginem breviter illustremus. *Si* igitur neque *quum* neque *ubi* significat, sed est particula conditionalis (*wenn*) cujus cum indicativo modo conjunctae usus in sententiis, de quarum veritate non dubitatur, vulgaris est. [1]) Verbis *summis verticibus* humana capita notantur, nec pluralis numerus est poëticus, sed rei et sententiae, quae communis est et ad

[1]) cf. Hor. Carm. 1. 33, 10. 1. 35, 17—18. 3. 3, 65. 3. 9, 18. — Ovid. Met. 15, 780—81. Ferrea decreta veterum sororum (Parcarum).

[2]) cf. Hor. Carm. 1. 6, 13. Tunica adamantina. Claudian. 15, 202. ubi Atropos voces Jovis adamante notat. Ovid. Met. 15, 810 sqq. Describuntur Parcarum tabularia rerum ex aere et solido ferro facta, aeterna nullaque re destruenda, ac fata generis Veneris perenni adamante inclusa.

[3]) cf. Mitscherlichium ad Hor. Carm. 1. 35, 17 sqq., qui ibi locis Graecorum Latinorumque scriptorem allatis hunc loquendi usum optime illustrat.

[1]) cf. Hor. Ep. 2. 2, 178. Si metit Orcus. Ovid. Met. 1, 377 sqq.

omnes pertinet homines, accommodatissimus.[1]) Epitheton *summis* ornans neque mirum esse, Cicero sit testis, qui in oratione pro Q. Roscio Comoedo (c. 7) dicit: *Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?* Hoc quidem manifestum est, propter convenientiam quandam partium a Cicerone, qui in talibus rebus est diligentissimus, epitheton *summum* esse scriptum, ut verbo *imis* responderet, sed negamus, necessarium fuisse ad descriptionem totius hominis perfectam absolutamque. Horatius enim his: (Ep. 2. 2, 4)

Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos.

ostendit, eo omisso eandem rem plane accurateque exprimi posse.

In verbis est casus ablativus, quem apud alios quoque verbum *figere* assumit. Virg. Aen. 10, 701. *Vertice figere cristas.* Propert. 2. 10, 2. *Spicula pectore figere. Ovid. Met.* 5, 116. *Laevo mucronem tempore figit.*

Tota autem imago speculo sive patera Oddiana apud Vermigliolium[2]) optime illustratur. In ea enim Meleagro et Atalantae adstans una Parcarum, Atropos, sinistra clavum supra eorum capita parieti applicat et dextra malleo figit. Parca igitur, ut unusquisque videt, capitibus clavos non vere infigit, sed symbolice tantum Meleagrum et Atalantam fortitudine in venatione apri Calydonii praestata, gloria, qua apud omnes fruuntur, mutuo amore[3]) et spe conjugii auctos clavo adacto fixos tenet, domat, suae et Fati sive Necessitatis potestati subjicit, cui quominus se subtrahant, impedit. Vix dicendum est, hanc actionem praecipue ad Meleagrum esse referendam, quem paulo post illam venationem exstinctum esse poëtae tradiderunt.[4]) De Atalantae fatis diversissima legimus relata.

Ad hanc pateram vel tale artificium Hora ius nimirum accurate expressit imaginem,

[1]) cf. Hor. Carm. 3. 1, 14., ubi poëta alia imagine sumta Necessitati potestatem in omnes homines promiscue tribuit.

Aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos.
Omne capax movet urna nomen.

In Carm. 2. 3, 21—28. Ep. 2. 2, 178—79. similia de Orco leguntur. In Carm. 2. 14, 1—12. eadem sententia aliis verbis expressa est.

[2]) cf. Vermiglioli Ant. Iscr. di Perugia T. 1. tab. 2. p. 43. Forc. Lex. s. v. Clavus; Orellium a. h. l.

[3]) cf. Ovid. Met. 8. 324 sqq. et 430.

[4]) cf. Ovid. Met. 8. 445 sqq.

quam ad omnes transtulit homines. Propter eandem enim pateram Necessitatis actio ad vertices hominum relata est, quod cur factum esset, antea difficillimum erat intellectu. Poëta autem imaginem ibi expressam non ita secutus est, ut etiam a Necessitate clavos supra hominum capita summa nescio cui parieti infigi diceret, sed aptius et ad poëticam rationem accommodatius fecit, quum illius actionis effectum modo describeret. Quum vero in re adumbranda certam nominaret corporis partem, in qua cogitatio accuratius versaretur, vividiorem nimirum imaginem oculis subjecit, quam quae satis circumspecte cauteque confecta a plerisque putaretur et ferretur. Quorum religioni scilicet serviisset, si minus finita imagine usus esset et universe homines a Necessitate clavis figi dixisset. Sed illam rationem secutus non ignoravit, poëtae id licere, quod pictori plastisque esset negatum. Nam quae pictor, ut hunc unum ex illis omnibus usurpem, repraesentat, ea oculis, judicibus acerrimis et severissimis, proponuntur et contuitu ipso altius vividiusque in animum penetrant; poëtae autem imagines ope auditus, hebetioris sensus, et imaginandi facultate paulo obscuriores et jam mentis opera immutatae et aptatae ei traduntur. Quare illi saepe tantum licet, ne opera sua contemplanti ingrata molestaque objiciat, actionem symbolicam, ut hoc verbo utar, depingere, dum poëtae non vitio datur, si actionis effectum animo symbolicam rationem complexus describit. Hoc suo jure usus est Horatius, quum (Ep. 2. 2, 178) „*Orcum homines metentem fecit*;“ neque Ovidius (Met. 1, 472, 473) dubitavit vehementissimum Apollinis in Daphnen amorem canere eo excitatum, quod „*Cupido Apollineas per ossa trajecta medullas telo laesisset.*“ At pictori, qui has res tractet, id solum permittatur, ut utramque symbolica actione accurate observata repraesentet. — Neutrum poëtarum actionis symbolicae immemorem fuisse, vix necesse est dicam, neutrius vero etiam descriptio unquam offensioni fuit interpretibus. Mirum igitur est, eorum dubitationem hoc loco esse commotam.

Apertum est, interpretes indolis orationis poëticae immemores errasse in hoc loco explicando, qui nullum eorum unquam vexasset, si *velut*, *tanquam* vel ejusmodi verbum esset additum. Sed quum poëtae res ita tractare et depingere soleant, ut eae sub sensus cadant, et omnino in verbis translatis illa orationis solutae adjumenta respuant, Horatius neque colorem dictionis poëticae dimittere neque quidquam adjicere potuit, ut indicaret, clavos capitibus hominum a Necessitate non vere infigi. Verba autem et singularem imaginem, quae nobis facile audacior videtur, ab aequalibus recte intellectum iri, ei ideo sperare licuit, quod hunc loquendi usum communem, et illam vel similem rem antiquam studio artium litterarumque deditis, quibus solis scripsit, notissimam esse scivit.

Quemadmodum igitur apud Ciceronem Verres beneficium immutabile, firmum red-

dere, non trabali clavo vere figere studet, sic apud Horatium Necessitas eadem actione homines sub potestatem arbitriumque suum ita subjungit, tanquam eos teneat clavis fixos.

Sententia horum octo versuum haec est: „Licet ditissimus sis et, quaecunque cupias, tibi parare possis atque more aequalium felicem vitam in rerum inanium specie, villis marinis ponas, felicitatem tamen veram sic nunquam adipiscaris nec, si (quod nemo dubitat) Necessitas omnes domat et in potestate sua tenet, animum mortis metu liberes neque mortem ipsam effugias.